



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 94. Electores pro Pontificis nominatione Conclave ingressi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

conscenso, tria ordine suo perlegit. I. Respon-
sionem Synodalem ad libellum Eugenii, quem nonnisi Gabrielem nominabant. II. Limitationem quamdam circa decretum de electionibus sancitum. III. Triumvirorum nominationem, quam Synodus approbavit, quibus perlectis omnes responderunt; *Placet*. Posthæc idem Lausanensis formulam jurisjurandi, quod Suffragantes præstarent, publice recitari postulavit, quo facto omnes juraverunt, præeunte ceteros Arelatensi Cardinale.

§. XCIV.

*Electores pro Pontificis nominatione
Conclave ingressi.*

Præstito ab omnibus juramento, ac tertiam diei pomeridiana, cum omnes ad-
hucdum jejuni essent, hymnum *Te Deum* intonarunt, quo decantato Electores instructo agmine procedentes, conclave ingressi sunt, sequebantur etiam Officiales ad horum ministerium destinati. Ostium conclavis nonnisi nona serotina occludebatur, ut interea, ad victum necessaria, necnon reliqua suppellex eo commodius inferri posset. Æneas Sylvius, qui & ipse interfuit Cæremoniarum Clerici munere functus, conclavis locum fuscè ac graphice describit, narratque illum fuisse domum

Sæcul. XV.
A.C. 1439.

Æn. Sylv. de
gest. Conc.
Basil. in fasc.
l. 2. p. 46.

Sæcul. XV. A.C. 1439. domum in foro urbis e regione Ecclesie Cathedralis, in loco edito ac patenti tam, quæ pluribus sat amplis instructa tricliniis, antehac choreis ducendis dedicata fuerat. Delineat quoque angustas illas cameras juxta numerum Electorum distinctas, necnon cibariorum qualitatem & ea Electoribus subministrandi modum recenset. In mediis eorum cellulis tanta erat, inquit, obscuritas, ut ad plenam meridiem candelas accendere oporteret, præterea eorum cubicula in solo frigidissimo, & adeo humido posita erant, ut rheumatico morbo correpti identidem tussientes, novis mali accessibus graviter affligerentur.

§. XCV.

Modus & series Scrutini.

Postera die primo diluculo omnes Electores Missæ sacrificio adstiterunt, quo peracto, & decantato Spiritus Sancti hymno, ad scrutinium, quod per schedulas factum est, processerunt. In loco, ubi & Cardinalis Arelatensis, & Vicentini Episcopi, aliorumque novem cellæ erant, ex utroque latere sedilia disponebantur. In summitate loci posita erat ara, coram qua sedebat Cardinalis Præses, cujus dextrum latus Archiepiscopus Tarantasiensis, sinistrum Dertulensis Episcopus